

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XIV. Continens Historiam, De Redi Tu Pueri Jesu Ingalliaeam, Ad  
Civitatem Nazareth.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

Avia Manasse & Ephraim. Sed contextus manifeste ostendit, quod Propheta c. 30. vaticinatur de captivitate Juda, cui tribus Benjamin conjuncta erat. Capite vero 31. meminit etiam captivitatis Israëlis: aliquoties enim nominat Ephraim. Et quia vivi illis comminationibus Prophetæ non movebantur, tribuit vocem mortua Rachel, matri Benjamin, & avia Ephraim: quasi illa audiens Ephraim nepotem suum in transmigrationem abeuntem, deplorat cunctos filios suos, quod post Ephraim, hoc est, post decem tribus, etiam Benjamin cum Juda abducatur. Hæc propria & historicæ est sententia illius loci. Dicit autem Evangelista, hanc prophetiam impletam esse, cum infantes occiderentur: quia simile aliquid, quod cognationem habet cum historia præterita, accidit. Sicut supra de prophetiarum impletione annotavimus. Et eadē ratione dictum illud Jeremiæ ad omnes martyres, & ad luctum Ecclesie omnium temporum, accommodari potest.

Sed Matthæus, præter generalem illam rationem, habuit alias etiæ causas, propter quas judicavit, dictum illud Jeremiæ proprius & convenientius, ad hoc infanticidium accommodari posse. Primo, quia Rachel in dolore partus mortua, circa locum illum, ubi infanticiū illud perpetratum est, sepulta fuit. Ut igitur immanitatem tristissimi istius spectaculi exaggeraret, assūmit hoc simile. Sicut tanta fuit calamitas, cum Juda & Israël in captivitatem abducerentur, ut viventium querimoniis non satis posset deplorari, sed demorari ad planctum illum advocandi essent, ut eorum ejulatus quasi exaudiri putaretur: Ita cùm nemo vel metu Herodis auderet, vel pro dignitate posset, truculentiam istius infanticidii deplorare. Jam inquit Evangelista, iterum mortua Rachelis, que in illo loco circa Bethlehem sepulta fuit, planctu opus esset, sicut in captivitate, Jer. 31. v. 15. Tanta enim calamitas vel mortuis luctum movere posset. Ita Evangelista, cùm verbis non posset assequi, qualis fuerit ibi planctus & luctus, ad profopœiam Jeremiæ, in simili casu positam, se refert.

Secundò, allegat Matthæus illam sententiam, ut tacita objectioni respondeat, & doctrinam

hujus historiæ explicet. Absurdum enim videri poterat, si puer Jesus est Salvator, quare cùm vix in hunc mundum editus est, illi, qui ipsi proximi & conjunctissimi erant, & ætate, & sanguine, ut pote de domo Davidis & bimuli, tam crudeliter propter ipsum trucidentur; Sed Evangelista ostendit verbis Prophetæ: Novi Testamenti salutem esse ex perditione, vitam ex morte, gaudium ex ploratu, spem ex desperatione. Per totum enim illud caput. Propheta loquitur de restitutione Israëlis futura per Messiam: quam tali, ut dixi, antithesi & quasi contradictione describit. Et ipsa Rachel, cum propter promissionem de Messia, deserta patria, Jacobum sequitum esset, ac venisset circa Bethlehem, ubi nasciturus erat Salvator, doloribus partus extinguitur, & tamen obstetricia non vult, filium vocari Benoni, sed Benjamin. Non mirum igitur videri debet, quod puer Jesus etiam hoc modo cœperit esse Salvator: Nempe per truculentam cædem ad vitam æternam, ostendit etiam, regnum hujus Salvatoris, non esse de hoc mundo, nec ejus salutem esse hujus caducæ vitæ. Trucidantur enim infantes, quorum est Salvator. Et quod sit iudicium rationis, hoc modo exponit: (Rachel plorat, & non vult admittere consolacionem: quia non sunt,) hoc est, judicat promissionem de Messia ipsis nihil prodeesse, cùn tam crudeliter abscessi sint de terra viventium, vox vero divina respondeat, quiescat vox tua a ploratu: est enim spes novissimis tuis, &c. Hoc modo utilius potest tractari accommodatio prophetiæ, quam ociosis & argutis disputationibus.

Porrò in sententia Jeremiæ, Matthæus vocem Ebream (*Rama*) reliquit: que aliquando quidem est nomen loci. Sed urbs illa Rama sita fuit in sorte Benjamin, juxta Gabaa, Jos. 18. v. 25. Jud. 19. 13. & 3. Reg. 15. 17. opposita Hierosolymis. Quia vero infanticidium in sorte tribus Juda circa Bethlehem perpetratum fuit: ideo appellativè illam vocem quidam accipiunt: (*In excelso vocem auditam,*) hoc est, quæ longè latèque fuerit dispersa: vel tantum fuisse ploratum, cuius ejulatus extra fines Bethlehemiticos in Rama in tribu Benjamin exaudiitus fuerit.

## CAPUT XIV.

### CONTINENS HISTORIAM, DE REDITU PUERI JESU IN GALILÆAM, AD CIVITATEM NAZARETH.

#### RATIO ORDINIS.

**M**ATTHÆUS nominans tempus mortis Herodis, ordinem & æxemplarum hujus historiæ manifestius, quam ut pluribus disputandum sit, ostendit. Et ex iis, quæ post pu-

rificationem Lucas cap. 2. habet, nihil esse hinc historiæ præponendum, indè manifestum est, quod reversionem in Galilæam, Lucas præmit illis, quæ de educatione pueri Jesu postea addidit.

#### HISTORIA DE REDITU PUERI JESU EX AEGYPTO,

Matth. 2.

19. Τελευτὴ γένεται τῷ Ηρώδῃ, ἵδοι, ἀγγεῖον  
κυρίον καὶ ὄντα Φαρινέτα τῷ Ιωσήφ εἰς Αἴγυπτον.  
19. Ceterum, defunctio Herode, ecce, angelus Domini  
in somnis apparuit Joseph in Aegypto.

20. Δέγεται

20. Λέγων, Ερεθίεις τούτοις λαβε το παιδίον καὶ τὸ μητρόν αὐτούς, καὶ πορευεις εἰς γῆν Ἰσραὴλ. Τεθῆκαστοι δὲ οἱ γηγενεῖς τούτοις τῷ ψυχλῷ τῷ παιδίῳ.
21. Οὐέροις, παρελαβε το παιδίον, καὶ τὸ μητέρα αὐτοῦ, καὶ τὴν δενεῖς γῆν Ἰσραὴλ.
22. Ακούεις οὖτον ἀρχέλαον, Καστλέου Νέποντος Ισδείας αὐτῷ Ηρόδης τὸ παιδίον αὐτῷ, ἐφοβήθη ἐκεῖ ἀπελθεῖν. Χαματισθεῖς ἐκατὸν οναρ, ἀνεχωρούσεις τὰ μερά τῆς Γαλιλαίας.
23. Κατέλθων, κατωκησον εἰς πολὺν λεγομένην Ναζαρέτ. ὅποις πληρωθῇ τὸ ηγέτευν Διατάν τον φημάν, οπις Ναζαρέτος κληθήσεται.
20. Dicens: Surge & assume puerum, & matrem eius, & vade in terram Israhel: defuncti sunt enim, qui querebant animam pueri.
21. At ille surgens, assumpit puerum, & matrem illius, & venit in terram Israhel.
22. Verum cum audisset, Archelaum regnare in Iudea, loco Herodis patris sui, timuit illuc abiire: sed oraculo monitus in somnis, secessit in partes Galilaeæ.
23. Ac profectus habitavit in civitate que vocatur Nazareth: ut impleretur, quod dictum fuerat per Prophetas. Nazarenus vocabitur.

## Perioda

**Q**via in Aegyptum abductus fuit puer Jesus, ne ibi maiorem etatis partem transegisse, & ex Aegypto ad inchoationem regni sui, contra Scripturam venisse existimet: adjungit Evangelista historiam, quomodo statim, post mortem Herodis, revocatus sit. Et hinc potest colligi, quamdiu in Aegypto haeserit, scilicet, usque ad mortem Herodis. Numerant autem alii 7. annos, alii 4. alii 2. & diversitas inde oritur quod initium regni Herodis constituitur, vel ab illo tempore, quando senatus consulto Rex appellatus fuit, vel ab occiso Antigono, cum Hierosolymam occupasset. Et ex hac supputationum diversitate, quidam Christum anno regni Herodis 30. alii 33. natum esse dicunt. Josephus scribit, Herodem regnasse annos 37. Regno ipsi per senatus consultum decreto, 34. post occisum Antigonom, & occupatam Hierosolymam. Hac consideratione neglecta multi diversas illas supputationes confundunt. Sed qui ponunt Christum natum, anno regni Herodis 30., tribuere debent regno ejus non 37. sed 34. annos. Qui vero ponunt 33. anno regni Herodis Christum natum, illi recte tribuant regno Herodis annos 37. Ita convenienter supputationes a nativitate Christi, usque ad mortem Herodis esse quadriennium. Et si statim post purificationem fugit in Aegyptum, usque ad 4. annum haesit in Aegypto. Si vero secundo anno post nativitatem Magi venerunt: erit tempus commemorationis pueri Jesu in Aegypto biennium. Anno igitur post nativitatem Christi quarto, Angelus rursus Josepho apparet in Aegypto, revocans ipsum, cum puer & matre ejus, in terram Israel. Addit autem, (*mortui sunt, qui querebant animam pueri.*) Quæ verba planè convenient cum illis, quæ Dominus dicit ad Mosen. Exod. 4. v. 19. Revertere in Aegyptum, mortui enim sunt omnes, qui querebant animam tuam. Volut enim Deus ubique ostendere *αἰαλογίαν*, inter educationem populi Israel ex Aegypto per Mosen, & inter redemtionem generis humani à peccato & morte per Christum. Nam & tunc, imminentis Israelitarum liberacione, Pharaon infantes masculos omnes jussit interfici: sed ex illis unus eripitur, qui postea fit Dux populi, cum educeretur ex Aegypto. Et cum ad ducatum illum evocaret Deus, illis verbis usus fuit, (*mortui sunt, &c.*)

Ad hanc vero clausulam. (*Mortui sunt.*) pertinet hoc loco historia de domesticis calamitatibus Herodis, quibus confectus, miserabiliter tandem morte interierit. Propter hanc enim doctrinam.

Harm. Tom. I.

M 2 quasi

## Historiae.

nam, historia de angelo revocante Josephum, proposita est: quo modo scil. Deus curam suorum agat in mediis periculis prospiciens ipsi tempore opportuno. Et quia supra species infirmitatis, cum puer Jesus saevitiam Herodis fugebat, proposita est: ostenditur nunc hunc Salvatorem sub illa infirmitatis specie, & in sua longanimitate posse inimicos suos conterere ut proverbii loco recte usurpari possit in Ecclesia hoc apophthegma Angeli, (*Mortui sunt qui querebant animam pueri: vivit autem puer in eternum.*) Mox tamen vires & in cruce & in consolatione ostenduntur: cum mortuo Herode, Archelai tyrannis succedit: At oraculum divinum iterum viam monstrat.

Historia autem illa Herodis, quæ extat apud Josephum, & repetita est ab Eusebio, prolixior est: nos capita tantum annotabimus, idque brevissime. Duos suos filios Alexandrum & Aristobulum, coram Augusto accusavit parricidii, & cum ibi patri reconciliati fuissent, suspicione affectati regni, laqueo strangulari iussi sunt à patre. Mox frater Pheroras veneno per uxorem sublatuus esse dicitur: id facinus dum Herodes tormentis inquirit, deprehendit se domesticis suis, & quidem conjunctissimis, ita invisum esse, ut intelligat, factam fuisse conspirationem, à fratre & à filio, de interficiendo rege. Et frater quidem Pheroras jam mortuus erat. Filium vero Antipatrum, damnatum criminis parricidii, conjicit in vincula: plurimos ex domestica familia rapit ad supplicium. Paulò post incidit in morbum talem, ut omnes vates pronunciarent esse ultionem divinam. Febris talis erat, quæ lento calore, totum corpus torrebat, ut non tam externo tactu deprehenderetur, quæ intus popularetur viscera, prurigo intolerabilis omnem corporis superficiem exagitabat. His accedebant tormenta colica, intestinorum exulceratio, inflatio ventriculi, vehemens voracitas, nervorum contractio, difficultas anhelitus, pedes tanquam intercursi virio tumebant: inguina & vena putrefacta scatebant vermis, olea & thermæ non mitigabant, sed exasperabant morbum. Postremo atra bile correptus: quia cogitabat populum latitudinem de Regis invisi miserabilis exitu, nobiles omnes ex Iudea convocavit, & mandata dedit, ut quæ primùm expirasset, immissa pratoria cohorte, omnes interficerentur: ut ita in morte Herodis populo aliunde luctus causa præberetur. Deinde in tantis cruciatibus & putrefactione carnis pertusus vitæ,

quasi pomum concisurus, cultrum poposcit, & tanquam se percutiurus, dexteram sustulit. Sed accurrente Achiabo consobrino, prohibitus est. Inde ululatus in tota regia excitatus est, quem cum filius Antipater vincetus audiret, exultans, quasi de extinto patre, custodes, promissa magna pecunia, rogarabat, ut se ex vinculis dimitterent. Sed cum hoc Regi nuntiacum esset, fortius quam vires agrotantis ferebant exclamans, statim missis satellitibus juber Antipatrum in carcere occidi, & tertio mutat testamentum: ac quinque diebus superstes filio, ipse quoque violentia morbi & dolore animi extinguitur. Hæc Josephus lib. Antiq. 17. cap. 8. & de bello Judæo lib. 7. cap. 21. Et sicut Josephus scribit lib. 18. c. 11. intra centum annos tota Herodis familia extincta est. Et hoc est, quod Angelus dicit: (*Mortui sunt, qui quererant animam pueri.*)

Porro, cum reverteretur Joseph in terram Israël, varia cogitavit, ubi cum puer futuro Rege Judæorum habitare & illum educare deberet: ut Scriptura omnia consentanea essent. Audierat enim natum esse, in civitate Bethlehem juxta Scripturam, & ne quidem fugam in Ægyptum carere Scripturæ testimonio. Cogitavit igitur, quia Rex Judæorum est, ergo in Judæa educandus erit. Et quia scriptum est: Ex Bethlehem egredietur Dux. Item: Sceptrum potentiae tuæ emitte Dominus ex Sion: vel igitur in civitate Bethlehem, vel in urbe Hierosolyma sedem f��gendarum esse putavit. Sed talia cogitante terruit sævitia Archelai, quam in primis statim successionis suæ diebus exercuerat. Immiso enim in multitudinem equitatu, foedam stragem edit, tribus millibus partim confosis, partim obtritis. Timuit igitur Joseph, ne Archelaus porrò inquireret, in pueros Bethlemiticos, qui videbantur lanienæ Herodis subducti fuisse. Cumque ex Testamento Herodis magni Archelao, Judæa & Samaria, Herodi Antipæ Galilæa & Peraea, Philippo Trachonitis attributa esset: in aliis igitur terra Israelis partibus, quas constabat non esse, locum regalem Messiam, tutius se cum puero Jesu habitare posse animadvertisit Joseph, præcipue in obscuro & ignobili oppidulo Nazareth; sed metuebat, ne cum Scriptura, secundum cuius vaticinia tota hujus pueri vita instituenda erat, pugnaret. Dum in hac anxia deliberatione Joseph versaretur, divino responso moneretur, ut secedat in Galilæam, & cum puero educationis gratia habitat in civitate Nazareth. Et hæc quidem de sententia responsi divini Joseph fecit. Sed quia Pharisæi, quo minus Christum reciperent, hoc prætentebant: Iscrutare Scripturas, & vide, quia ex Galilæa Propheta non surrexit, Joh. 7. v. 52. Item quidam non mali offendebantur, ut Joh. 1. v. 47. Nathanael inquit: Num à Nazareth potest aliquid boni esse? Evangelista igitur confirmat, esse & hoc scriptis Prophetarum consentaneum: (*ut impleretur quod dictum est per Prophetas, Nazarenus vocabitur.*)

Multa vero sollicitè disputata sunt, ubi hæc sententia scripta sit: Nec otiosa est diligentia. Judæi enim contumelia gratia Christum vocabant, Nazarenum, & Christianos Nazareos: quasi ipsa appellatione notantes stultitiam eorum.,

qui ex Nazareth crederent Messiam posse prodire.

Chrysostomus nodum ita præcidit: quod si ut Judæorum socordia multorum Prophetarum scripta perierunt, ut quæ in libris Regum citantur Nathan, Addo, Semei, &c. ita temporibus Evangelista forsitan extitisse illud Propheticum, scriptum, unde sententia hæc sumptat, quod postea intercederit. Sed periculosa est hac solatio, quas in omnibus Scripturæ liberos, qui Christi & Apostolorum tempore extiterunt, salvos & incolumes habeat Ecclesia. Et si extitisset tempore Evangelista, Scribae Joh. 7. non ignorassent.

Osiander censet, non esse Scriptum in Prophetis, quia Evangelista non dicit: scriptum est, sed dictum est per Prophetas. Censet igitur esse traditionem, quam filii Prophetarum ex scriptura bona consequentia deduxerint. (Nam & interpres Scripturae vocantur Prophetæ, 1. Cor. 14. v. 29.) Quia scilicet Nazareth fuerit oppidum attributum habitationi Regii seminis: ideo Messiam ibi habitaturum. Sed in certis traditionum titulis non sunt committenda illa, quæ ad fidei confirmationem pertinent. Et Matt. 21. v. 4. ponitur eadem phrasis, quod dictum est per Prophetam dicentem: quam tamen sententiam scriptam esse constat. Nec probari potest, Nazareth fuisse civitatem Davidis. Joseph enim & Maria per exilium eō projecti fuerant.

Hieronymi sententia est: quod Evangelista, quia non inquit, dictum est per Prophetam, sed per Prophetas, significet, se non certi alicujus Prophetæ verba recitare, sed ad sententiam in Prophetarum scriptis traditam alludere. Quia vero in Veteri Testamento, nomen civitatis Nazareth scriptum non legitur: ut de Etymologia dubium sit, an per Zain ז an vero per Zade ז scribendum sit. Duplex igitur explicacionis sententia est, ac utraque est pia, & Scriptura consentanea. Si enim Etymologia servatur à ז per Zain, tribuitur in scriptura appellatio Nazer & Nezer illis, qui vel voto religionis; ut Num. 6. v. 2. vel sanctimonia singulari, ut Pontifex; vel dignitate, ut reges segregati erant a vulgo. Ita crescent casaries, quæ est signum externum super caput eorum, qui ex voto Nazarei erant, vocatur Nezer, Num. 6. v. 5. Et corona sanctificationis in capite Pontificis, vocatur Nezer. Exod. 29. v. 6. & 39. v. 30. Oleum unctionis in Pontificis capite, unde appellatur sanctus, vocatur Nezer, Lev. 21. v. 12. Diadema Regium vocatur Nezer, 2. Reg. 1. v. 10. 4. Reg. 11. v. 12. Psal. 89. v. 40. Iratus est contra Christum tuum, prophanaisti in terra coronam ejus. Et inde Joseph vocatur Nazareus, quasi conservator fratribus suorum Gen. 49. v. 26. Deut. 33. v. 16.

Quia igitur Salvator Christus Dominus verus est Pontifex & Rex Psal. 2. v. 6. & 110. v. 4. est & Sanctus sanctorum Dan. 9. v. 24. Significatus per Pontifices, Reges & Nazareos legales. Non autem volebat ritus legalium Nazariorum scipere, nec gestare coronam Pontificis, vel diadema Regis: & tamen ut notum & manifestum esset, figuræ illas in Christo impleras, & in ipsum verum

verum Nezer Pontificium, Regium & Sanctum sanctorum competere, vocandus & publicè prædicandus erat verus Nazaræus. Mirabili igitur Dei consilio appellatione à patria Nazareth, ubi educatus erat, accepta, publicè prædicabatur, verus Dei Nazaræus. Judæi quidem contumelia gratia Christum ita appellabant: sed Dei consilium erat ut indicaretur & publicè prædicaretur, Christum verum esse Nazaræum, hoc est, Regem, Pontificem, & Sanctum sanctorum, qui unctione, corona, diademate & reliquis legalibus ritibus præfiguratus fuerat. Et quia ab externis legalium Nazaræorum, Regum & Pontificum insignibus ita appellari non poterat, quia illa fuscipere & gefare non voluit: à patria igitur educationis Nazareth, publicam illam appellationem accépit. Et de Messia expressè ita loquitur Psal. 132. v. 18. illud producam cornu David, super ipsum florebit Nezer, corona seu sanctificatio ejus.

Ac secundum hanc rationem, typus Simsonis Nazaræi, pulcrè huc potest accommodari. Jud. 13. v. 5. Nazaræus Dei vocabitur ab utero. Simsonem enim fuisse in multis figuram Christi Salvatoris manifestum est. Ille fuit fortitudine incomparabili prædictus, qua omnes hostes devicit. Noster est verus Salvator, fortior ille, qui fortè armatum ligavit, exiit. Luc. 11. v. 2. Simson moriens plus nocuit hostibus, quam vivens. Ita morte Christi mors est exarmata, infernus destrutus, serpens caput contritum. Ille legalis ritus fuit Nazaræus ab utero: de Christo angelus dicit: Quod in ea natum est, ex Spiritu sancto est. Quod exte nascetur sanctum, filius Dei vocabitur. Ut autem ostenderetur figuram illam Simsonis in Christo impletam, vocandus erat Nazaræus sed ritum illum legalem non suscepit: à patria igitur vocatus est Nazaræus: & ita impleta sunt scripta Prophetarum, de vero Nazaræo significatio per legales Nazaræos.

Et hæc quidem sententia piac bona est: Sed quia Judæi Jesum appellantes Nazaræum scribunt per Zade נזֶר. Sicut & Pagninus, veram inscriptionem tituli crucis Domini ita habere,

ostendit, & in Syriaca etiam Novi Testamenti versione, per Zade Nazareth scribitur. Inde igitur alia Etymologiæ ratio & appellationis explicatio sumitur. Nam I. 11. v. 1. Messias vocatur נזֶר Nazer, surculus seu germén de radice I. 11. exurgens. Et alio vocabulo idem significante sanguis Messias vocatur זמָה Zemah, germen surculus seu tenella plantula, Jer. 23. v. 5. 33. v. 14. Zach. 6. v. 12. & 3. v. 8. Isa. 4. v. 2. ut itaque publica appellatione Jesus hic prædicaretur verum germen, seu surculus Davidis, de quo multi Prophætam multa vaticinati essent mirabili Dei dispensatione, à loco educationis publicè appellatus fuit Nazaræus, vel Hanozri germen illud, surculus ille Davidis. Et eruditæ sunt cogitationes eorum, qui existimant civitatem in tribu Nephatalim, quæ vocatur Hazor, vel en Hazor, Jos. 19. v. 37. Postea abbreviatione & deflexiohe quadam vulgo vocatam Nazor, unde Ebraico more facile fit Nazareth, quasi civitas germinis seu surculorum. Terram etiam & locum, quæ in Joshua vocatur Cinereth, vulgus postea appellavit Genesaret, sicut Josephus appellat, vel ut Evangelista Genezareth, quasi vallem surculorum. Atque ideo Jesus in Nazareth educatus, tam libenter ac tam multum in terra Genezaret, & circa lacum Genezareth versari voluit, ut ostenderet se verum esse germen seu surculum illud Davidi promissum. Hæc & erudita & pia sunt: & quia promissio illa de surculo seu germine Davidis in multis Prophætarum locis extat, ideo Matthæus dicit: (*ut impleretur quod dictum est per Prophetas, quod Nazaræus vocabitur.*) Et Matthæus quidem, Lucas & Johannes nomen illud scribunt ναζαρεὺς. Marcus vero Latina terminatione ναζαρεὺς. c. 10. v. 47. 14. v. 67. & 16. v. 6. Et Lucas semel etiam ita scribit c. 4. v. 34. Sed de ratione appellationis stagni Genezareth, quæ sit Judæorum sententia postea annotabimus. Hac igitur allegatione Evangelista voluit explicare, quale fuerit consilium Dei, quod puerum Jesum iussit educari non in regia urbe Hierosolymis, nec in civitate Davidis Bethlehem, sed in Nazareth.

## C A P U T X V.

## CONTINENS HISTORIAM, DE EDUCATIONE ET VITA JESU, A QUINTO ÆTATIS ANNO USQUE AD TRIGESIMUM: SIVE AD INCHOATIONEM PUBLICI MINISTERII,

Lucæ 2.

## R A T I O O R D I N I S.

**M**atthæus Christum quadrimum reddit ex Ægypto in Galilæam, ad civitatem Nazareth, inde vero mox digreditur ad initium ministerii Johannis & ad baptismum Christi. Atque inde Marcus historiam suam ordit: sicut & Johannes post exordium ad testimonium Baptiste digreditur. Lucas vero contextum conjungit cum Matthæo, de reverione pueri Jesu in Galilæam, atque inter reverionem illam in Galilæam, & inter inchoationem ministerii Baptiste, interponit descriptionem

Harm. Tom. I.

de educatione & vita Jesu, usque ad susceptiōnem Baptismi, que anno trigesimo facta fuit. Hic igitur verus & proprius est hujus historiæ locus. Potest autem hæc descriptio distribui in tres partes: ut prima sit de educatione pueri Jesu à quinto Ætatis anno usque ad duodecimum. Altera sit de historia anni duodecimi. Tertia vero sit de vita Jesu ab anno duodecimo usque ad trigesimum, quo baptisatus ministerium suum publicè inchoavit. Atque hoc modo periodicas explicationis distribuemus: ipsam vero historiam uno capite comprehendemus.

M 3

HISTO-